iuravit, ut cuique laesionem inferret, sed nequam angustatus iurando promisit, ut Romuleam urbem numquam ingrederetur, ad reconciliationem sui honoris numquam accederet, suumque episcopatum numquam reciperet. Hocine sacramentum apud Christianos cuilibet inponi fas est? Nunc contra sacram religionem contrarium esse convincitur. Contra sacram scilicet religionem in eo, quod invitus iuravit, ut Romuleam urbem numquam introiret, hoc est, numquam apostolorum corpora Petri et Pauli adoraret; contrarium vero in eo, quod adiunxit, ut ad reconciliationem sui honoris numquam accederet suumque episcopatum numquam reciperet. Rata ergo compassione Formosum a tali iuramento solvere decreverunt, iuxta id quod Dominus ait: *Misericordiam volo magis quam sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocaustum.* Tu autem aperi oculos cordis tui, et vide, qualiter in eisdem tuis sacramentis dupliciter praevaricator existas. Iurasti enim, licet invitus, ut ipse fateris, ut ordinationem illam secundum tuum scire et posse adversus emulos defendas; f. 136 quod utique non ad cuiusque calamitatem, sed ad utilitatem pertinet. postmodum vero non invitus, sed quibusdam placere desiderans, iurasti, ut eandem ordinationem secundum tuum posse subvertas; quod procul dubio ad malum faciendum adtinet. Denique in apostolicis pontificibus auctoritatem unam esse, quis ambigat? Sed utique ad ligandum quo merito ligari debet, et ad solvendum, quo merito solvi oportet. Alioquin frustra beatus Gregorius dicit: *iudicare de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam requirunt.* *Unde recte per prophetam dicitur*: *Mortificabant animas, quae non moriuntur, et vivificabant animas, quae non vivunt.* *Non morientem* quippe *mortificat, qui iustum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplitio absolvere conatur.* Et Hieronimus tractans illud evangelicum: *Quae-*